VIR



PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

# IOANNI CHRISTIANO FRANKIO

IVR. VTR. DOCTOR. IVDICII PROVINCIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS ASSESSORI CAVSARVM PATRONO CELEBERRIMO

# DOROTHEAM ELISABETH TITIAM

VIRGINEM LECTISSIMAM BEROLINO VITEBERGAM VXOREM DVCENTI

GRATVLATVR

IOANNES CHRISTIANVS HENRICI

*A. M. et Lycei Viteberg. Conrector.*

---

INEST DE VESTIS NVPTIALIS APVD GRAECOS ET ROMANOS COLORE.

VITEBERGAE,

*TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.*

1780



# SPONSE FELICISSIME

Sponſi vitam hucusque vixiſti, non tamen mollem illam et delicatam, ſed eam, quae virum decet, modeſtam, et liberalis gaudii, affectusque tenerrimi dulcedine abundantem. Praeclare enim Tecum actum eſt divinae providentiae beneficio, quae votis Tuis ita annuit, vt ſponſam iam nactus ſis, omnibus iis virtutibus ac ornamentis inſtructam, quae in ea, quam Tibi lecturus eſſes, tori ſocia ut invenirentur, ſemper optabas. Vt enim nihil dicam de conditione hac lauta, id potius praedicabo, naturam non modo ſponſae huic Tuae in diſpenſandis corporis dotibus minime fuiſſe novercam, ſed larga manu omnia Ipſi tribuiſſe, quae ad ſexus elegantioris gratiam faciant commendandam: verum etiam, quod utramque facit paginam, formoſo ac venuſto huic corpori animum ineſſe aeque praeſtantem, ſapienti parentum cura ac educatione ad pietatem erga Deum, frugalitatem, morumque elegantiam formatum, ut, neſcio quae, fauſta inde auguria

 feli-



felicitatis coniugii Tui capere inde quilibet poſſit. Equidem, qui non ſolum abs Te, ſed a tota quoque gente Tua, in urbe noſtra ſplendidiſſima beneficiis ornatus ſum prorſus ſingularibus, et omnino in utriusque fautorum meorum fortunae ſocietatem venire et ſoleo, et debeo, temperare mihi non potui, quin per hanc opportunitatem gaudium meum Tibi declararem, faceremque teſtatum, quantum beneficiis abs Te Tuisque mihi praeſtitis ſtatuam pretium. Patere igitur, Fautor Optime, ut hanc levem opellam meam, quam nulla vanae gloriolae captandae cupiditas, ſed pietatis modo Tibi declarandae ſtudium propulit, iudicio Tuo ſubmittam elegantiſſimo, certiſſime perſuaſus, fore, ut, quicquid huius rei ſit, aequi bonique conſulas.

Iam primum cum veſtis multorum in oculis omnino faciat virum, multum ad pulcritudinem conciliandam et augendam valeat, oculosque in amore quippe duces perſtringendo, vel animum ipſum facilius capiat; mirum non eſt crebram in re amatoria veſtium fieri mentionem, amantesque ab antiquiſſimis iam inde temporibus earum ſummopere ſtuduiſſe ſplendori. Sic Petala apud Alciphronem Ep. I. l. 36. queritur: *δεῖ χρυσίȣ ἡμῖν, ἱματίων, κόσμȣ, θεραπαινίδων, opus eſt, nobis auro, veſtibus, ornatu, ancillis.* Addit ſtatim cauſam: *τὰ ἀρχαῖα καὶ τρίχινα προβαλλομένη Ταραντινίδια αἰσχύνομαι τὰς φίλας, pudet vetuſtis et cilicinis amiciri Tarentinis veſtibus apud amicas.* Locum huic ſimilem Berglerus attulit in nota e Luciani Dialog. Meretr. Mater ibi ad Muſarium filiam: *ȣ̓κ αἰσχύνῃ*, inquit, *μόνη τῶν ἑταιρῶν ȣ̓κ ἐλλόβιον, ȣ̓κ ὅρμον, ȣ̓ Ταραντινίδιον ἔχȣσα;* Non pudet te, *quod ſola neque inaures habes, neque monile, neque veſtem Tarentinam?* de cuius veſtis vſu vid. Perizon. ad Ael. V. H. l. VII, 9.

Habet

Habet vero quod accuſet Simalionem ſuum Petala, veſtesque ab eo poſtulet, cum moris eſſet, vt amatores amatis a ſe puellis teſtificandi amoris cauſa veſtes dono mitterent, ſicut hoc non obſeruato, refrigerati amoris incurrebant ſuſpicionem. Manifeſto id liquet ex eiusdem Alciphronis l. I. Ep. VI. vbi Panope perfidiae crimen marito obiicit, et praeter alia exprobrat, eum ad Galenen mittere κεκρυφάλȢς Μιλησίȣς, καὶ Σικελικὸν ἱμάτιον, *reticula Mileſia et veſtem Siculam.* Diligenter obſeruant hanc conſuetudinem Penelopes proci apud Hom. Odyſſ. Σ. v. 290. ſqq. in primis Antinous, qui donabat μέγαν περικαλλέα πέπλον *magnum et perpulcrum peplum.* Quo nomine Leontium l. II. Alciphronis Ep. II. amatorem ſuum laudibus cumulat, *quod, non ceſſaſſet omnia ipſi bona mittere, veſtem, aurum, ancillas, ſeruos,* Indos, Indas, πάντα μοι τἀγαθὰ πέμπων, ȣ̓ διαλέλοιπεν ἐσθῆτα, χρυσεῖα θεραπαίνας, θεράποντας, Ἰνδȣ̀ς Ἰνδάς.

In primis autem commemorandum hic eſt, ſponſum ſponſae veſtes muneri obtuliſſe. Fidem huius rei facit Homerus Odyſſ. O. v. 126. Telemacho ibi Helena tradit peplum ſua manu factum his verbis:

Δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ, τέκνον φίλε, τȣ̃το δίδωμι
Μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν, πολυηράτȣ ἐς γάμȣ ὥρην
Σῇ ἀλόχῳ φορέειν.

*Donum tibi et ego, fili dilecte, hoc do, monumentum manuum Helenae, optatarum nuptiarum tempore ſponſae tuae geſtandum.* Reſpexiſſe hoc etiam videtur S. Ambroſius Serm. IX. quo in loco Agnetem lego de Chriſto ſponſo ſuo praedicare, *induit me cyclade auro texta.* Qui mos ſicut antiquiſſimus eſt, ita apud orientis praeſertim populos vſitatus fuit, ipſis ſacris literis teſtibus. Inuenio enim Geneſ.

XXIV, 53. Elieſerem Iſaaci proxenetam Rebeccae praeter alia munera veſtes quoque apportaſſe. Neque vero dubitandum eſt, quin plures ſcriptores ſacri hoc tangant, vt Eſaias c. LXI, 10. luculentius Ezech. XVI, 10. ſicut Ioannes Apoc. XIX, 8. Quibus tamen locis fuſius enarrandis anguſti non patiuntur libelli fines, ideoque conſulto doctioribus interpretibus ea relinquo.

Sponſam autem ſponſo viciſſim veſtes dono exhibere conſueuiſſe argumentis certis affirmare non ſuſtineo. Eſt quidem locus Nicephori Hiſt. eccleſ. l. 18. c. VIII. qui de nuptiis Mauritii Imperatoris et Conſtantiae agit, et praeter alia narrat, hanc ex auro contextam veſtem, purpura et Indicis margaritis diſtinctam praebuiſſe. Cum vero non ſatis ex eo liqueat, ſponſum hanc veſtem accepiſſe eius potius me non poenitet eſſe ſententiae, vt ſtatuam, ſponſi amicis has veſtes eſſe datas. Quem morem Homeri aetate iam obtinuiſſe diſcere licet ex Odyſſ. Z. v. 25. ſqq. Nauſicaam enim Alcinoi, puellam nubilem, per ſomnium Minerua reprehendit ob neglectas veſtes:

Ναυσικάα, inquit, *τί νυ σ' ὧδε μεθήμονα γείνατο μήτηρ*
*Εἵματα μέν τοι κεῖται ἀκηδέα σιγαλόεντα·*
*Σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν*
*Ἕννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν οἵ κε σ' ἄγωνται·*

*Nauſicaa, quid te ſic omiſſam peperit mater?*
*Veſtes enim tibi iacent neglectae admirabiles:*
*Tibique nuptiae inſtant, vbi oportet pulcras te ipſam*
*Induere, talesque illis praebere qui te ducent.*

Notat hic Euſtatius: *ἔθος γὰρ, φασιν, ἦν τὰς νύμφας τοῖς τοῦ νυμφίου ἐσθῆτας ἐν τῷ τοῦ γάμου καιρῷ χαρίζεσθαι*, *moris erat hoc ſicut ferunt,*

*ferunt, ut sponsae amicis sponsi nuptiarum tempore vestimenta dono darent.* Quibus Eustathii verbis novi foederis interpretes, in primis Dougtaeus in Analectis sacris ad N. T. excurs. XV. loco Matthaei, c. XXII, 11. conati sunt accendere lucem, mea tamen sententia non satis claram, cum potius ibi afferre testimonia e veteribus debuissent, quibus efficeretur, non tam sponsam, quam potuis sponsum, aut quod idem esset, sponsi patrem conuiuis, aut sponsae comitibus, distribuisse vestes. Crederem potius locum Judicum XIIII, 12. sqq. huc trahi posse. Valde enim probabile est, Samsonem, cuius officium quidem erat vestes in nuptiis dispensare, res tamen tam angusta domi, ut vel caede vestes acquirere tandem cogeretur, eo potissimum nomine aenigma proposuisse, ut, eo non soluto, a vestibus largiendis se redimeret. Plura qui desiderat, adeat Michaelis Commentarium ad libr. Iud. l. c. et Hessii Geschichte der Israeliten Tom. VI, l. III, c. 2. Redeo iam, diverticulo detentus, ad munera sponso a nova nupta oblata, ubi statim occurrit locus Pollucis l. III, c. III, in quo inter munera a sponso virgini data fit quoque mentio amiculi ac pepli, item veli lectum ambientis, sive cortinae, ac deinde agit de chlamyde, in *ἀπαυλίοις* missa: *ἀπαυλιστηρία, χλανὶς* (lege potius cum Iungermanno *ἀπαυλιστήρια χλαμὺς*) *ἀπὸ τῆς νύμφης τῷ νυμφίῳ ἐν τοῖς ἀπαυλίοις πέμπεται.* Ἀπαύλια autem eodem Polluce auctore erat *dies, quo sponsus in soceri aedibus cum noua nupta concumbebat.*

Iam vero, ne in congerendis huius rei exemplis putidus videar, fastidiumque lectori creem, properandum est ad id, quod vberius tractandum mihi proposui, nempe vestium nuptialium dono plerumque datarum colorem. Cum vero gentium veterum mores et instituta valde

de inter se discrepent, et apud eundem saepe populum huic homini mirifice placere soleat illud, quod alterius iudicio minime applausum ferat, vix est, quod moneam, vestes nuptiales, sicut ipsa forma, ita colore quoque magnopere fuisse diuersas. Missa vero hic facio omnia, quae de aliorum populorum amictu nuptiali passim traduntur, vt de hominum orientis vestibus acu pictis, Psalm. XXXXV, 10. et Ezech. XVI, 10. commemoratis, et pedem modo figam apud Graecos et Ronos. Insignis hic est Achillis Tatii locus l. II. c. IX. in quo Leucippes Clitophonti nupturae ornatus varius, isque splendidissimus, refertur. Habebat nempe Leucippe ἐσθῆτα τὸ πᾶν μὲν πορφυρᾶν, ἔνθα δὲ ταῖς ἄλλαις ἐσθῆσιν ἡ χώρα τῆς πορφύρας, ἐκεῖ χρυσὸς ἦν, *vestem purpuream totam, nisi quod ea pars, quae in aliis purpura constat, ex auro erat texta.* Neque tamen purpura erat vulgaris, sed, vt in sequentibus additur, Tyria optima, eaque pretiosissima, qua vel ipsum Veneris peplum tingi consueuit. Cramben vero ab aliis saepius iam decoctam apponere hic auderem, si monerem, vestium purpura, praesertim Tyria, tinctarum tantum fuisse pretium, vt non cuiusque facultates iis comparandis sufficerent. Quapropter facile est intellectu, hanc Leucippes amictum, quem in nuptiis gestatura erat, non a quibuslibet sponsorum, praecipue ab iis, quibus res tenuis erat, sponsis potuisse comparari, adeoque non fuisse communem colorem purpureum. Disertis etiam verbis dicit, eam tantummodo vestium partem, quae hic auro texta esset, in aliis fuisse purpuream. Vnde colligo, nec falli me putarem, sermonem esse de stola, cuius imam partem ambire solebat institа assuta, quod Ferrarius ostendit de R. V. l. III. c. 17. Quodsi fides Salmasio ad h. l. est habenda, aliae eiusmodi vestes erant

albae

albae et *πορφυρόσημοι*, ſeu purpura clauatae, cui Rubenius quoque ſuffragatur l. I. c. 10. de R. V. Ferrarius cero in Analectis de R. V. in alia omnia diſcedit, Rubeniumque ait confundere clauos cum inſtita, qua ſtola ad oram erat ornata, clauos enim in veſtibus Graecorum eſſe nullos. Quo vero iure Rubenius a Ferrario vapulet, intelligent, qui e Winckelmanni Hiſtoria Artis ſciunt, in ſtatuis Graecis variis ex ſtanno et aere permixto conflatis, clauos diligenter expreſſos eſſe, ita, vt e ſolo aere cyprio ferruminando aut fibulis inditi ſint ſtatuis, ad indicandum purpurae colorem. Attigit haec etiam Erneſti *ὁ πάνυ* in Archaeologia literaria c. II. c. VI. §. 12. et 16. Aeris autem huius temperaturam fuſius deſcribit Plinius H. N. l. XXXIIII. c. 9, et 14.

Album vero veſtis in nuptiis ſolennis colorem luculentius confirmat idem Achilles Tatius l. III, c. 7. Erat ſcilicet Peluſii templum Iovis Caſii, in quo duplex Evandri tabula erat propoſita, quarum in altera repraeſentabatur Andromedae, vinculis ſaxo alligatae, nota illa fabula. Andromeda vero ibi *ἔστηκε νυμφικῶς ἐστολισμένη ποδήρης χιτὼν, λευκὸς ὁ χιτὼν, τὸ δὲ ὕφασμα λεπτὸν, ἀραχνίων ἐοικός πλοκῇ* etc. *'Sponſarum more erat veſtita, tunica talari, eaque alba atque araneolae reti ſubtilitate pari.* Ne vero falcem hic immittam in alienam meſſem, lectores ablegabo ad Salmaſium ad h. l. inprimis vero Excellentiſſimum Bodenum, praeceptorem meum omni laude mea longe ſuperiorem, qui de tenuiſſimo hoc indumento plura ibi diſſeruit, quam per anguſtias libelli mei recenſere poſſim. Monendum etiam videtur album huius veſtis colorem minime vulgarem hic eſſe, ſed potius candidum, cuiusmodi veſtes omnino laetitiae ſignum erant, feſtisque diebus induebantur.

bantur. Luculentius id apparet ex ipſa ſponſae veſte nuptiali Apocal. XIX, 8. Ἐδόθη αὐτῇ, ἵνα περιβάληται βύσσινον καθαρὸν καὶ λαμπρόν *et datum eſt illi, ut ſeſe indueret byſſino puro et candido.* Vides hic eſſe λαμπρὸν, quod apud Achillem Tatium λευκὸν, de quarum vocum diſcrimine infra plura dicendi locus erit.

Neque vero Graecorum tantum moribus convenit color albus in veſte ſponſae nuptiali, ſed etiam Romanis fuit uſitatus. Non opus hic eſt multis argumentis, cum nemo facile ſit, qui neſciat, ingenuos Romanorum liberos togis praetextis indutos inceſſiſſe, quas, ſicut pueri die tirocinii, ita puellae commutarent cum toga pura die nuptiarum. Cuius rei teſtem excito Feſtum: *Nubentibus,* hic inquit, *depoſitis praetextis a multitudine puerorum obſcoena clamabantur.* Cui aſſentit Propertius l. IV. El. XII. v. 33.

Mox ubi iam facibus ceſſit praetexta maritis,
Vinxit et acceptas altera vitta comas.

Cum itaque praetextas eo demum tempore depoſuiſſe dicantur, ubi feſcennina carmina iis occinebantur, facile adducor ut credam, ipſa nuptiarum die puellas adhuc praetextatas fuiſſe, ita, ut veſperi eius diei praetextis depoſitis pura toga, tunicaque recta induerentur. Eadem quoque Plinius refert l. VIII, 48. H. N. ubi de C. Caecilia: *Ea prima texuit tunicam rectam, qua ſimul cum toga pura tirones induuntur, novaeque nuptae* cfr. etiam Laz. Bayfius de R. V. Tom. VI. Theſ. Graev. p. 579. Puram autem togam ἀπόρφυραν ſeu ſine purpura, albamque totam fuiſſe, cum praetexta contra et ipſa alba, purpureo tamen limbo in circuitu ornata fuerit, ſciunt omnes harum

rerum notitia vel leuiter imbuti. Tunica quoque recta ſurſum verſum a ſtantibus texta alba fuit, de qua hic nullus, alibi commodior erit dicendi locus.

Iam vero res mihi erit cum ſponſo apud Graecos, quem tinctis veſtibus ornatum fuiſſe conſtat ex Luciani Nigrino, qui tradit, Athenis deprehenſum eſſe quendam e multitudine et ad praeſidem ludorum adductum ea de cauſa, quod *βαπτὸν ἔχων ἱμάτιον pallium variis coloribus infectum geſtans* ſpectaculis interfuiſſet. Vniuerſos vero eius miſertos veniam ei eſſe precatos. Vbi vero praeco exclamaſſet, in leges eum commiſiſſe, qui tali veſte indutus ſpectaret ludos, omnes quaſi deliberato poſtulaſſe, ut, venia ipſi daretur, cum nullam aliam haberet veſtem, niſi hoc pallium nuptiale. Cuius rei argumentum invenies quoque apud Suidam in voce *βαπτά*. Cum vero hic omnia debeat Scholiaſtae Ariſtophanis, ipſo Kuſtero ibi notante, locum Ariſtophanis potius excitare hic praeſtat, poſteaque eius interpretem. Legimus enim in Pluto Act. II, Sc. V. v. 530. Paupertatem diſputare, ſi omnes eſſent divites, fore ut artes omnes tollerentur e vita, vt nemo ſtrueret domos, pretio veſtimenta lavaret nemo, brevique futurum, ut, ſi nova nupta domum eſſet ducenda, nemo vnguentis ſe poſſet delibuere aut veſtibus ſe ornare pretioſis infectis et verſicoloribus, *ἱματίων βαπτῶν δαπάναις κοσμῆσαι ποικιλομόρφων.* Ad quae verba interpres: *Βαπτὰ γὰρ ἱμάτια φοροῦσιν οἱ νυμφίοι, πρὸς τὸ φαίνεσθαι τεκμήριον, οἶμαι τῆς βαφῆς, tinctas veſtes ſponſi geſtabant, in tincturae, ut autumo, indicium.* Kuſterus doctiſſimus Suidae editor praefert Suidae lectionem illi, quam habet Scholiaſtes, qui *βαφῆς* legit loco *φθορᾶς.* Magnus autem Duckerus ad hunc Ariſtophanis locum inge-

nue fatetur, ſe ex neutra harum lectionum commodum elicere ſenſum poſſe, niſi velis ſtatuere, φθορὰν ibi ſignificare ſponſi ſponſaeque coniunctionem ſeu μίξιν, quemadmodum permiſtiones colorum a pictoribus φθοραὶ vocarentur. Legendum itaque cenſet χαρᾶς *gaudii*, cuius tamen rei arbitrium, tanti viri auctoritate permotus in me ſuſcipere non ſuſtineo. Nemo tamen ibit inficias, βαπτὰ ἱμάτια non modo eadem eſſe, quae ποικίλα verſicolores ſcilicet a βάπτειν, quod idem ſaepe eſt, ac ποικίλλειν: ſed etiam has ποικίλας ἐσθῆτας gaudii fuiſſe ſignum, cum viri quoque iis uſi eſſe narrentur, ἐν ἑορταῖς καὶ πανηγύρεσι. Occuparunt haec Duckerus ad Ariſtophanis l. c. et quos ibi excitat Salmaſ. ad Vopiſc. Carin. c. 6. et Ferrar. de R. V. l. III, c. 22.

Minime tamen his ex locis effici poterit, colorem in veſtitu ſponſi nuptiarum tempore geſtato ſemper fuiſſe verſicolorem, cum ex Nonno Dionyſ. l. XXXV, v. 112. ſqq. appareat, eum quoque interdum fuiſſe album. Chalcomedea ibi ſuadet Morrheo, vt armis depoſitis veſtem induat albam nuptiis convenientem, his verbis:

Κάτθεο σὸν θώρηκα σιδήρεον, ὅττι χορεύει
Εἰς γάμον ἀβροχίτων, ὅτε κύπριδι μίσγεται Ἄρης,
Εἵματι χιονέῳ πεπυκασμένος, ὥσπερ Ἀπόλλων
Ὡς Πόθος καὶ Κύπρις etc.
Depone tuum thoracem ferreum, quod ſaltat
In nuptiis mollem tunicam habens quando Veneri miſcetur Mars,
Veſtimento candido tectus, ut Apollo,
Vt Amor et Venus etc.

Cui

Cui dicto audiens Morrheus in sequentibus indutus narratur peplo, seu pallio niveo colore χιονώδει πέπλῳ.

Praeterea extat Plauti locus Casina Act. II, sc. VIII. commemoratu dignus, qui sic se habet:

At candidatus cedit hic mastigia,
Stimulorum loculi: protollo mortem mihi.

Cum vero locus hic interpretes in diuersas traxerit sententias, habere me censeo, quod in eo explicando ingenium exerceam meum. Veste Olympionem candida sponsorum more hic indutum esse, Bossius ait de Toga c. XIII, et cum eo Lambinus et Taubmannus Plauti editores: negat vero Lipsius Elect. l. I. c. XIII. p. 680. qui contendit, candidatum esse Olympionem, quod iam nouus esset libertus, sociumque habet Fabrum Semestr. l. I. p. 70. sq. Ferrarius autem parum sibi constat, cum libro III. de R. V. c. XXIV. Lipsii sit suffragator, contra l.IV. c. 21. aliorum. Liceat tamen mihi, qui nullius in verba, nisi grauibus motus rationibus iurare soleam, cum iis facere, qui suum Lipsio suffragium denegent. Primo enim Lipsio, salua mea, vt puto, sententia libenterque concedo, nouos libertos albatos incessisse, cum Tertulliani locus ab ipso allatus id luculenter efficiat, cui plura etiam addi potuissent loca ex Aristophanis Thesmoph. v. 847. eiusque Scholiaste ad h. l. vt ex Achille quoque Tatio l. V. c. 6. Eratne autem Olympio vere libertus, vt candidatus incedere posset? Imo plane aliud. Stalinonis enim verba hac in fabula probant alia omnia. Sic enim ille Act. II. sc. VIII.

Cras censes te posse emitti manu.

 In



In prologo etiam huius fabulae nuptiae hae dicuntur feruiles; Graecorum more celebratae, apud quos, vt ibi dicitur, maiore faepe opera feruiles, quam liberales nuptiae folitae fint curari. Ipfe etiam Olympio de manumiffione fua dubius haeret, cum Act. III. fc. 6. ad Stalinonis domini verba: *lepide curatus inceffifti*, refpondeat:

*Ah! hodie.*

Quod ex mente Lambini eft: ah hodie fic excuratus incedam, cras ad feruitium erit redeundum. Idem ex fequentibus elucet:

— *Ol.* Quis hic homo es? *St.* herus fum. *Ol.* qui herus?
*St.* Cuius tu feruus eft. *Ol.* Seruus ego? *St.* Atque meus
*Ol.* Non fum ego liber?
Memento, memento. *St.* mane atque afta. *Ol.* Omitte,
feruus fum tuus.

Deinde Lipfius ignoraffe quoque videtur ea, quae Act. IV. fc. I. leguntur, vbi ancilla Olympionem, cum falfo futurum fe Cafinae fponfum putaret, ludibrio habet, vt tota orationis docet feries. Sic enim loquitur:

Villicus hic autem cum corona candide
Veftitus, laute exornatusque obambulat.

Vides itaque Olympionem non modo candide effe veftitum, fed et cum corona, quam in fponfi, fponfaeque fuiffe ornamentis praeter alios docuit Maderus in libello de coronis nuptialibus 1688. Helmftadii edito p. 23. fqq. et Pafchalius de coronis l. II, c. 16. Addo his Act. II. fc. II. egredi Olympionem cum lampade, qua Lambino auctore fponfam praelucendo vult excipere. Lampadis vero aliis etiam in locis folenni-

lennitati ſcilicet nuptiarum adhibitae, ſit mentio, vt apud Terent. Adelph. Act. V. ſc. VIII.

— Miſſa haec face

Hymenaeum, turbas, lampadas, tibicines

ad quem Guietus et Roſinus l. V. c. 37. Antiq. Rom. plura congeſſerunt exempla, me vero horum iam taedet. Miror quoque, nonnullos interpretum veſtem Olympionis togam fuiſſe contendere, cum tamen comoedia haec ſit palliata, ſaepiusque non modo in prologo, verum etiam in ipſa fabula pallii ſiat mentio.

Inſtituti mei poſtulat ratio, vt iam ad ſponſi amictum apud Romanos pergam. Non habeo, quod hic multis verbis diſputem, cum nemo antiquitatum tam ſit rudis, vt ignoret, togam communem et propriam Romanorum cuiusque ordinis fuiſſe habitum omni tempore, ſi bellum excipias geſtatum. Inſolentius quoque agere viderer, ſi lectoris morari vellem tempora allatis hic veterum teſtimoniis, quae efficiant, colorem togae quotidianum fuiſſe album, cum non adeo difficile ſit, ipſos adire viros, qui ex inſtituto de veſtibus expoſuerint veterum, Boſium puta de Toga, Ferrarium, Rubenium, Bayſium, Manutium. Feſtis vero diebus omnibus, et publice priuatimque laetis, non aliam in vſu fuiſſe veſtem apud gentem illam togatam, peculiari tamen candore inſignem aperte cognoſces e Prudentio contra Symmachum:

Exultare patres videas pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque ſenum geſtire Catonum.
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere. —

Augu-

Augusto Puteolanum sinum praeteruehenti vectores nautaeque de naue Alexandrina in laetitiae puto signum, *candidati* coronatique et thura libantes fausta congesserunt omina. Sueton. Aug. c. 98. Persius quoque Sat. I, v. 15.

Scilicet haec populo pexusque, togaque recenti
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus
Sede leges celsa.

Eadem quoque Ouid. l. III. Trist. El. 13.

Scilicet expectas solidam tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis vt alba meis.

et libr. V, el. V. de vxoris natali:

Quaeque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.

Haec et Casaubonus ad Persii l. c.

Quibus tamen in locis omnibus, non quotidianus ille togae albor ex natiuo lanae colore, sed insignis quaedam et peculiaris indicari videtur, quod alias non videmus, cur auctores huius rei tanquam non semper vsitatae faciant mentionem, nec, quo discrepet habitus festus a quotidiano. Hunc nodum Lipsius iam inuenit, et soluisse se putat Elect. l. I, c. 13. p. 681. ratus, non aliud fuisse in eo more, quam vt per dies solennes togas sumsissent recentes, vsuque nondum sordidas, quod et locus Prudentii iam adductus innuere videtur, vt ille quoque apud Ouidium:

Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.

Quod

Quod etſi interdum factum fuit, ſicut non inficias eo, vnde vero tenuioris fortunae homines, quibus vix vna togula erat, recentem toties ſumſerunt, quum et totum populum, ideoque plebeios ac pauperes feſtis diebus albatos fuiſſe legimus? Equidem committere hic non poſſum, vt partes deſeram Ferrarii, qui l. I. c. 22. ſtatuit, feſtis, laetisque diebus non togas ſemper recentes ſumtas, ſed vel ab ipſis dominis lotas, vel a fullonibus, quorum ingens Romae numerus, totumque collegium fuit, vt pluribus Schoetgenius oſtendit, de *Re fullonia*, lauandas, nouumque candorem pro facultatibus quemque maiorem forte, iis conciliandum curaſſe. Quod non ſolum Martialis non obſcure confirmat l. X. Ep. XI.

Donaui tamen, inquis amico millia quinque,
Et lotam, vt multum, terque quaterque togam.

ſed ea quoque ipſa loca, quibus Lipſius pro ſtabilienda ſententia ſua vtitur, vt in Plauti Aulul. Act. IIII. Sc. VIII.

Qui veſtitu et creta ſe occultant, et ſedent quaſi ſint frugi.

Accuratius igitur puto eos ſtatuere, qui dicant, candidas non albas feſtis diebus in vſu fuiſſe veſtes apud Graecos aeque, ac Romanos, cum ex dictis iam apparet, album et candidum in veſtimento, vt in aliis rebus, apud poetas praecipue, ſaepe confundi, ſicut voces Graecas λαμπρὸν *ſplendidum* aut *candidum* et λευκὸν, quod *ſimpliciter album* notat, ſcriptores Graeci ſaepe commutant. Otium hic mihi fecit Caſaubonus in Exercit. ad Baronii Annales Exerc. XVI. p. 533. qui praeter alia etiam oſtendit, candidum colorem vel regum fuiſſe



insigne. Nec tamen possum, quin Horatium huius rei testem excitem Sat. II, 11.

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Iam igitur cum tanta togae eiusque candidae Romae fuerit gratia, tantusque honor, vt eam festis diebus, vt in natalibus et repotiis, septima scilicet post nuptias, die, qua noua nupta ad parentes suos solebat redire, induerent: quid impedit, quo minus statuere possimus eam quoque in nuptiarum solennitate sponsorum fuisse ornamentum? Accedit etiam hoc, quod festo hoc priuato semper fere maxime in confarreatione solennia facta fuisse sacrificia legimus. Constat hoc ex Vlpiani fragmento VIIII, 1. apud Heineccium Antiq. Rom. l. X. et Rosin. l. V. 37. Ant. Rom. p. 606. qui: *Farre*, inquit *conuenitur in manum, certis verbis et testibus decem praesentibus et solenni sacrificio facto* etc. Plura suppeditat Hotomannus de Ritu Nupt. c. 29. Quemadmodum vero omnino candidus color boni ominis causa acceptus fuit veteribus: ita et in sacris peragendis solennis fere fuit, diisque placuit. Diogenes Laertius de Vit. phil. l. VIII. segm. 35. p. 517. edit. Meibomii τὸ μὲν λευκὸν τῆς τἀγαθȣ̃ φύσεως τὸ δὲ μέλαν τȣ̃ κακȣ̃. *Candidum ad boni pertinet naturam: atrum vero ad mali.* Conf. ad h. l. Thom. Aldobrandinus et Aeg. Menagius. Cicero de legibus II. 18. *color albus praecipue decorus Deo est, tum in caeteris, tum maxime in textili* Tibull. II. el. 13.

Casta placent superis, pura cum veste venite etc.

Puram

Puram vero veſtem, hic eſſe candidam oſtendit Broeckhuſius ad h. l. p. 280. Plura etiam dabit Lomeierus in Epimenide p. 422.

Haec erant, quae me propellere iuſſit pietas, non tamen ita comparata, vt volui, ſed vt per temporis, tumultuariique libelli anguſtias potui. Quo nomine et aequos harum rerum aeſtimatores gratiam mihi facturos confido eorum, quae non ſatis exacte et diligenter ſint elaborata.

Tu vero Fautor Optime macte eſto coniugii Tui felicitate et vale. Dabam Vitebergae VI. Kalend. Mart. A. R. S. cIↄIↄccLxxx.

